

structi salubriter legittime, canonice ac concorditer elegerunt<sup>49)</sup> in regem Romanorum, prout hec et alia in decreto electionis desuper confecto<sup>50)</sup> novissime eidem principi per excellentes dictorum principum electorum ambasiatores solempniter presentato<sup>51)</sup> plenius continetur. Quos eciam legatos<sup>52)</sup> sive nuntios ideo ad presenciam sue serenitatis transmissos gratanter, ymo cum omni reverencia ac devocione, qua decuit, recepit<sup>a)</sup>, hylariter vidit et proposicionis eorum verba sua serenitas pleno collegit intellectu. Quorum industria diligens et intercessio studiosa recte ipsos<sup>b)</sup> tantorum principum ac tam grandis negocii nuntios fatebantur, dum ostendentes altam mittencium dignitatem coram sua serenitate legacionis sue officium prudenter impleverunt. Cumque tam ex ipsorum relatibus quam ex ipsa experientia rerum, que quorumlibet testimonio de posicioni preponitur, firmiter serenitas sua comperit, quod erga eandem purum gerant affectum et honoris sui augmentum fidelissime, prout neminem latere potest, procuraverunt, propter quod certos vult esse predictos principes electores, quod, sicut ipsi serenitatem suam sinceris mentibus disposuerunt sublimare, sic stabili mente eadem sua serenitas concepit statum eorum ubilibet ampliare, ut sibi ipsi credentes<sup>c)</sup> retinere, quidquid in eos honoris et comodi dextera sue liberalitatis effundet, (voluntatem, quam erga eos placidam semper habere vult, gratis igitur inductionibus augeat<sup>53)</sup>).

Allocuturus igitur specialius vestras venerandas paternitates<sup>54)</sup> et dominaciones volensque imponere finem presenti negocio dico, quod vestre dominaciones et magnificencie advenerunt hodie<sup>55)</sup> portantes pacem, et nedum pacem, sed ipsum pacis auctorem, quia regem Romanorum, qui dicitur semper augustus, et illuminantes patriam isto

a) receperit Hs.

b) ipsas Hs.

c) credens Hs.

<sup>49)</sup> Siehe DRTA. 15, 111 ff. (2. Februar 1440).

<sup>50)</sup> Siehe eb. S. 188 Z. 33 ff.

<sup>51)</sup> Vgl. oben S. 165.

<sup>52)</sup> Petr. de Vin. 3, 27 (I, 432).

<sup>53)</sup> Die Ergänzung dieses im Sinne der Ansprache stellenweise geänderten Satzes war nötig, wenn man nicht anstatt creden(te)s als Verbum finitum credant setzen will.

<sup>54)</sup> Über die Anwesenden siehe oben S. 165.

<sup>55)</sup> Dieses Wort könnte ein Argument gegen die oben S. 165 vorgetragene Meinung sein, daß zwischen der Überreichung des Wahldekretes und der Erklärung der Annahme fast eine Woche verstrich; es ist aber fraglich, ob eine so strenge Interpretation nötig sei, denn es kann sich doch nur auf die Zeremonie am 6. April 1440 beziehen und die wahrscheinlich wörtliche Bezugnahme auf das Wahldekret, siehe oben S. 171 Anm. 48, würde bei Gleichzeitigkeit kaum möglich gewesen sein.